



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE PRAECLARUM HOC PAROECIALE TEMPLUM SANCTO IOSEPH DICATUM

IPSUMQUE IN ARCHIDIOECESI ROSARIENSI SITUM,

AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS ATTOLLITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Praeclarum hoc templum, ineunte hoc saeculo aedificatum, catholicam operam pietatis et studium in S. Iosephi testificatur. Insignis enim huius Caelitis spectatam vitam ac patrocinium usque extulit catholica Ecclesia eiusdemque virtutes fidelibus cunctis praebuit imitandas. Pastoralis praeterea ibidem actio efficaciter explicatur ad communitatis ecclesialis utilitatem ac spiritalem progressum. His ob oculos habitis rebus, Venerabilis Fratris Eduardi Vicente Miras, Archiepiscopi Rosariensis, precibus occurrendum sine cunctatione censuimus, qui suum tum ostendens postulatum tum suorum fidelium, enixe efflagitavit ut paroeciale templum Sancto Ioseph, Sponso Beatae Mariae Virginis, dicatum, quod Rosariensem intra urbem reperitur, in ipsius archidioecesi, in Basilicarum Minorum album referretur. Itaque ea quae statuit Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum comprobantes, factis a Nobis quondam potestatibus, Apostolica pro Nostra auctoritate sacrum aedificium, de quo supra est facta mentio, Basilicae minoris dignitate honestamus, cunctis additis iuribus et privilegiis, quae ad id genus templa pertinent. Serventur deinde quae decretum iubet «de titulo Basilicae minoris» die IX mensis Novembris, anno MCMLXXXIX evulgatum, quibuslibet minime obsistentibus rebus. Magnopere tandem memorare placet S. Ioseph domesticas virtutes et familiae cultum. Ad has res igitur mentem et animum referentes qui nunc sunt fideles, studiose praecipua haec instituta servent et assidue colant. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIV mensis Ianuarii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.* ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1998 - Libreria Editrice Vaticana

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana